

c. 3. *Excursus*: Volatus super animae alas

Quamquam viri docti sunt qui putent Graecos numquam animam sub specie avis effinxisse,<sup>46</sup> tamen aliquae testimonia plane ostendunt animas avibus adaequatas esse. Homerus ipse, in cuius carminibus ψυχή sicut corporis simulacrum effingitur,<sup>47</sup> interdum de animarum volatu orationem facit.<sup>48</sup> Etiamsi non omnia volantia aves sunt, similitudines animarum cum avibus apud Homerum inveniuntur, et verbum τριζών (quod pullorum stridorem significat) Patrocli animae refertur, quae omnia coniunctionem animarum aviumque satis antiquam esse subindicant.<sup>49</sup> Attamen nihil apud Homerum in mentem notionem subire facit tales voces auditoribus delenimento, sicut Sirenum, esse. Haec certe exilis coniunctio animarum cum avibus fortassis in imaginibus aetatis Mycenaeae videri potest, quod saepius et dilucidius in litteris et monumentis aetatis posterioris evenit. Nunc itaque de his monumentis disseramus.

Sunt vero avium imagines aetatis Mycenaeae, quae capita humana adhibent (cf. imaginem nostram VIII).<sup>50</sup> Avem cum humano capite, masculina barbata facie, quam animae imaginem saepissime apud Aegyptios invenimus, in oinochoe Rhodia aetatis Geometricae exeuntis, Musaeo Britannico servata (A34), videri potest.<sup>51</sup> Aliam sirena barbata in aryballo corinthio aspiciamus, annis circiter DC–DLXXV ante Christum natum depicto, pictori Otterlo adscripto, nunc in Artium Musaeo Universitatis Studiorum Harvardensis servato (1950.162; <http://www.perseus.tufts.edu/hopper/image?img=Perseus:image:1990.01.1260>, a. d. IV Non. Mai. MMXIII), et in pyxide Corinthia, annum circa DLXX a. Chr. n. depicta, pictori Chimaerae adscripta, nunc in Musaeo J. Paul Getty (Malibu, 88.AA.105) servata (cf. imaginem nostram IX). Vtrum istae imagines prout animarum simulacra existimari possint, difficile est dictu, sed parvulae aligerae humanae figurae, quae ex *pitho* surgunt, iuxta quod Mercurius (animarum apud antiquos ductor) cum virgula stat, sine dubio animarum imagines sunt, sicut in *lekytho* Attica albis figuris exornata, saeculo V a. Chr. n. depicta, videmus (cf. imaginem nostram X)<sup>52</sup>. Istae parvulae humanae aligerae figurae etiam in aliis *lekythis* eiusdem aetatis apparent, ubi paene sine dubio animarum simulacrorum munere funguntur, Mercurio eas ponderante vel Charonte cymba subvectante. Ea animarum simulacra Sirenes non sunt, namque earum corpus totum humanum est, ubi Sirenum corpus (vel saltem pars eius inferior) avis formam adhibetur. Sed et Sirenes et simulacra, quae modo laudavimus, alas ferunt.



Imago VIII: Mycenaee imagines avium humano capite.

© The Trustees of the British Museum



Imago IX: Barbata siren in pyxide Corinthia

(<http://www.perseus.tufts.edu/hopper/image?img=Perseus:image:1990.05.0088>,  
 pridie Id. Aug. MMXIII).



Imago X: Mercurius animas evocans, quae aligerae effinguntur  
 (Attica *Lekythos* e collectione antiquitatum Vniversitatis Ienensis  
 nomine Friderici Schilleri)

Sunt quoque imagines avium, quae mortuorum animas effingunt.<sup>53</sup> Amphora  
 rubris figuris exornata, circa D a. Chr. n. depicta, quae collectioni Bourguignoneae  
 Neapolitanae pertinet, Eoa demonstrat Memnonis cadaver tenentem, super cuius ora  
 passer, forsitan imago Memnonis animae, volitat (cf. imaginem nostram XI).<sup>54</sup>



Imago XI: Passer super Memnonis ora volitans, forsitan imago Memnonis animae.  
 Neo-Eboraci, in Artium Musaeo Metropolitano, ©Photo SCALA, Florence

Imagines, quas hactenus pertractavimus, animas effingere possumus existimare, quoniam litterae Graecae et Latinae semper magis dilucide non tantum volatum (sicut Homerus iam fecit), sed etiam alas animarum laudant vel animas et aves componunt. Animam avis formam habere iam Sophocles innuit in versibus, qui animum movent, et qui mortuos ad aves aequiperant pulchris alis exornatas, ad dei occidentalis ripam volantes. In epigrammate sepulcrali Platoni dicato, aquila transeunti se Platonis animam esse dicit. Aetate posteriori multa invenimus exempla: Plinius Maior Maximusque

Tyrius splendide depinxerunt, quo modo Aristeae Proconnesii animae sub corvi specie eum relinqueret. Hoc autem ad Aristeam forsitan non pertinebat, si Herodoto (primo auctori, qui de Aristeia scripsit) credimus: hic enim tantum dicit Aristeam interdum corvi suscipere formam. Antoninus Liberalis (1, 5) Ctesylla mortua columbam evolantem visam, corpus autem invisibile factum esse scripsit, quod heroidis animam sub specie columbae effugisse censere sinit. Ps. Callisthenes aliquid simile de Alexandro Magno enarravit: ubi ille mortuus est, aquila in caelum volare visa est. Lucianus, ut mos erat suus, istarum fabularum parodiam composuit.<sup>55</sup>

Apud Latinos poetas Ovidius animam quoque volantem laudat, Vergilius autem animas, quae Charonta exspectant, ad folia in autumnno ex arboribus cadentia, adque aves super terram hieme glomerantes aequiperat.<sup>56</sup> Horatius vero fatum sui non idem ac ceterorum hominum esse canit, at se alas adepturum, sicut avem canoram abiturum, Bosphorum, Syrtes, Hyperboreosque campos visurum esse.<sup>57</sup> Quamquam ea non idem esse ac animam sub avis specie effingere, hominem avem post mortem fieri etiam cum illa fide convenit. Ita Meropa apud Hyginum aquilam post mortem, deinde sidus factum esse, quod Aquilam appellant, invenimus.<sup>58</sup> Vergilius etiam refert *luctu Cycnum Phaethontis amati, / populeas inter frondes umbramque sororum / dum canit et maestum Musa solatur amorem, / canentem molli pluma duxisse senectam / linquentem terras et sidera voce sequentem* (*Aen.*, X, 189-193), quod Servius ad stellas nomine Cycnum rettulit, ubi verba *sidera voce sequentem* ita enarravit: *cum cantu caelum petentem: vel quod est re vera relatus in sidera, sicut videmus in sphaera*. Pleiadas quoque laudemus, quae secundum aliquae testimonia columbae, deinde stellae factae sunt<sup>59</sup>.

Aquilas quoque ibidem, ubi defunctorum imagines, in monumentis Graeco-Syriis aetatis Romani Imperii invenimus.<sup>60</sup> Hae imagines aquilam simulacrum animae defuncti existimari sinunt. Exempli gratia, Cumont sepulcrum Bâlkîs (iuxta ripam Euphratis) pertractavit, ubi murus posterus cryptoportici, qui in cellam sarcophagi ducit, aquilam a dextro ingressus alas extendentem ostendit, supra quam coronam videri potest. Media autem pars cistam ostendit, supra quam alteram coronam videmus, et a sinistro aquila altera quoque alas extendit. Infra istas imagines inscriptionum reliquias videmus, quae nomina hominum componunt.<sup>61</sup> Albus lapis siliceus etiam in Bâlkî inventus aquilam extentis cum alis supra inscriptionem Ἀθηνόδωρος Γερμανοῦ ostendit.<sup>62</sup>

Itaque animantia similia, interdum eadem ac Sirenas, munere animarum imaginum fungi videmus. Sirenes certe atque animarum imagines alas ostendunt, omnesque bigeneri sunt. Equidem animae aliis figuris effinguntur, interdum sine alis.<sup>63</sup> Non omnes aves cum humano capite animarum imagines esse existimandae sunt: hoc enim tantum unus inter alios significatus esse videtur. Sed haec Sirenum significatio, magis quam Homericæ, Platonem incitare potuit, ut eas in Eris fabula adhiberet.<sup>64</sup>

#### c. 4. Aliquæ Sirenes-animæ aetatis posterioris

Apud scriptores aetatis posterioris Sirenas esse animas etiam legimus. Proclus Sirenas animas non mortuorum, sed mundi sphaerarum esse interpretatus est. In commentariis in *Cratylum*, Proclus Sirenas et animas mortuorum diiudicat, cum Sirenas Plutonas allicere animas dicit, ut circum deum inferorum saltent. Sed in commentariis, quæ in *Timæum* composuit, Proclo divinis animabus Plato Sirenum nomen dedisse videtur.<sup>65</sup>

Adhuc saeculo IX p. Chr. n. echo huius coniunctionis Sirenum atque animarum audire possumus, cum in Photii *Lexico* Sirenas facultates animæ ad Musas pertinentes et consone moderatas esse legimus<sup>66</sup>.

<sup>66</sup> Cf. Aemilii Kunze, 1932, p. 130, n. 2, et Iohannis Pollard, 1965, p. 141.

<sup>67</sup> Cf. *Il.*, 23, 65-7 (ἦλθε δ' ἐπὶ ψυχῇ Πατροκλῆος δειλοῖο / πάντ' αὐτῷ μέγεθός τε καὶ ὄμματα κάλ' ἐϊκυῖα / καὶ φωνήν, καὶ τοῖα περὶ χροῖ εἶματα ἔστο); *ibid.*, 23, 71 (τῆλέ με εἵργουσι ψυχὰι εἶδωλα καμόντων), et Apollodori grammatici (saeculo II a. Chr. n.) fr. 10 Müller, a Porphyrio laudatum apud Stobaeum, I, 49, 50 (ὑποτίθεται γὰρ τὰς ψυχὰς τοῖς εἰδώλοις τοῖς ἐν τοῖς κατόπτροις φαινόμενοις ὁμοίαις). Vid. S. Wide, 1901, p. 152, qui Homerum tam animas quam deos sub specie hominis effinxisse dicit; Gualterii Friderici Otto, 1923, p. 23, et Mauriti Halbwachs, 1930, p. 496, inter alios.

<sup>68</sup> *Il.*, XVI, 856 (ὄϊον), et XXII, 362 (ψυχῇ δ' ἐκ ῥεθέων πταμένη Ἀϊδόσδε βεβήκει); *Il.*, XXIII, 880 (ὠκύς δ' ἐκ μελέων θυμὸς πτάτο); *Od.*, XI, 207-8 (τρὶς δέ μοι ἐκ χειρῶν σκιῇ εἴκελον ἦ καὶ ὄνειρῳ / ἔπτατ'); *Od.*, XI, 222 (ψυχῇ δ' ἠΰτ' ὄνειρος ἀποπταμένη πεπότηται); *Batr.*, 207-8 (τὸν δὲ πεσόντα / εἶλε μέλας θάνατος, ψυχῇ δ' ἐκ σώματος ἔπτη); *Sapph.* fr. 55, vv. 3-4 Voigt (ἀλλ' ἀφάνης κὰν Ἀΐδα δόμωι / φοιτάσης πεδ' ἀμαύρων νεκύων ἐκπεποταμένα); *E. Or.*, 675-6 (θανόντ' ἀκούειν τάδε δόκει, ποτωμένην / ψυχὴν ὑπὲρ σοῦ); *AP*, IX, 286 (Ὅρι, τί μοι φίλον ὕπνον ἀφήρπασας; ἡδὺ δὲ Πύρρης / εἶδωλον κοίτης ὥχετ' ἀποπτάμενον). Cf. Caroli C. Hense, 1868, p. 123, et Georgii Weicker, 1902, p. 21.

<sup>69</sup> A. De animis et avibus apud Homerum, cf. *Od.*, 11, 605 (ἀμφὶ δέ μιν κλαγγὴ νεκύων ἦν οἰωνῶν ὥς); *Il.*, 2, 459-63 (Τῶν δ' ὥς τ' ὀρνίθων πετεηνῶν ἔθνεα πολλὰ / ... / κλαγγηδὸν προκαθιζόντων, σμαραγεί δέ τε λειμών), et *Il.*, 2, 99-100 (σπουδῇ δ' ἔζετο λαός, ἐρήτυθεν δὲ καθ' ἔδρας / παυσάμενοι κλαγγῆς). Eva Hofstetter, 1990, p. 9, hos locos et illos de animarum volatu sicut testimonia de animabus sub specie avis, quæ in monumentis sepulcralibus effinguntur, componit.

B. Verbum τριζω de anima Patrocli dicitur (*Il.*, 23, 100-1: ψυχὴ δὲ κατὰ χθονὸς ἢ ὕτε καπνὸς / ὄχρετο τετριγυῖα). Cf. D. L., 8, 21 (φησὶ δ' Ἱερώνυμος κατελθόντα αὐτὸν εἰς ἄδου τὴν μὲν Ἡσιόδου ψυχὴν ἰδεῖν πρὸς κίονι χαλκῶ δεδεμένην καὶ τρίζουσαν); Lucianum, *Icar.*, 11 (ἔνθα δὴ περιεπέτοντο ἡμᾶς τετριγυῖαι τῶν νεκρῶν αἱ σκιαί); Plutarchum, *De sera numinis vindicta*, 567e (ἐνίαις δὲ καὶ πολλὰς ἅμα τῶν ἐκγόνων ἔλεγε συνηρτήσθαι καθάπερ μελίττας ἢ νυκτερίδας ἀτεχνῶς ἐχομένας καὶ τετριγυῖας ὑπὸ μνήμης καὶ ὀργῆς ὧν ἔπαθον δι' αὐτάς); Philostr. VA, 2, 4 (καὶ τὸ φάσμα φυγῆ ὄχρετο τετριγυῖος, ὥσπερ τὰ εἶδωλα); Philostratus Maior, *Im.*, 1, 4 (καὶ ἡ ψυχὴ ἤδη ἄπεισι, μικρὸν δὲ ὕστερον καὶ τετριγυῖας αὐτῆς ἀκούσῃ). Idem verbum τριζω de pullulis adhibetur; cf. *Il.*, 2, 311-4 (ἔνθα δ' ἔσαν στρουθοῖο νεοσσοί, νήπια τέκνα, / ... / ἔνθ' ὅ γε τοὺς ἐλεεινὰ κατήσθιε τετριγῶτας). Cf. Othonis Benndorf, 1868, p. 65, et Ernesti Rieß, 1894, p. 189. Hoc resonat in locis quibusdam poetarum latinorum: vide Attii *Alcestin* (apud Othonem Ribbeck, <sup>2</sup>1871, p. 143: *cum striderat retracta rursus inferis*), Lucanum (VI, 623: *auribus incertum feralis strideat umbra*, quod e <http://www.thelatinlibrary.com/lucan/lucan6.shtml>, a. d. III Non. Novembris MMIV deprompsimus), et Claudianum (*In Rufinum*, I, 126: *illic umbrarum tenui stridore volantum / flebilis auditur questus*); cf. Caroli Dilthey, 1872, p. 399.

<sup>50</sup> Mycenaean specimen avium capite humano in lamina nostra VIII videas (haec monilia nunc in Musaeo Britannico Londini, 1892,0520.12, servantur). Cf. etiam Arturi Evans, 1892-3, p. 203, fig. 6 (e <http://www.jstor.org/view/00754269/ap020013/02a00220/8?frame=noframe&userID=959f8fa8@indiana.edu/01cc99333c005019a8959&dpi=3&config=jstor>, a. d. VI Id. Iun. MMV).

<sup>51</sup> Vide Bernardi Schweitzer, 1969, p. 96, fig. 61, qui imaginem auxilio Homeri interpretatur, qua de re infra orationem faciemus; cf. etiam Roberti Manuelis Cook, <sup>3</sup>1997 (<sup>1</sup>1960), p. 216.

<sup>52</sup> Videas Atticam *lekythum* modi pictoris Tymbi qui dicitur, nunc in collectione antiquitatum Vniversitatis Ienensis nomine Friderici Schilleri (Germanice “Antikensammlung der Friedrich-Schiller-Universität Jena”, Inv. V 225; cf. imaginem nostram X, quam Dr. Dennis Graen, professor Archaeologiae Classicae Ienensis, nobis misit et nos illo acquiescente descripsimus, qua de re gratias ei agimus; cf. etiam Waser, 1902-9, col. 3231, fig. 17; Caroli Marót, 1960, p. 136, et pl. XI; Adolphi Furtwängler, Caroli Reichold et Friderici Hauser, 1932, III, p. 29, fig. 12). Haec vasa maximi momenti sunt, quoniam ad sepulcra facti sunt; cf. Perci Gardner, 1893, p. 20, et Ar. *Ec.*, 996 (ὄς τοῖς νεκροῖσι ζωγραφεῖ τὰς ληκύθους). De Mercurio animas ducente, cf. *Od.*, I, 24 (Ἐρμῆς δὲ ψυχὰς Κυλλήνιος ἐξεκαλείτο); A., *Persae*, 629-30 (Γῆ τε καὶ Ἑρμῆ, βασιλεῦ τ' ἐνέρων / πέμψατ' ἔνερθεν ψυχὴν ἐς φῶς); D. S., I, 96, 6 (τὸν ψυχοπομπὸν Ἑρμῆν); Cornuti (saeculo I a. Chr. n.) *De natura deorum*, 16, p. 22, l. 7-10 Lang (ψυχοπομπὸν δὲ τὸν Ἑρμῆν ἐμύθευσαν εἶναι συμβάλλοντες, ὅπερ ἴδιον αὐτοῦ ἐστὶ, τὸ ψυχαγωγεῖν διὰ τοῦτο γοῦν καὶ ῥάβδον αὐτῷ ἐγχειρίζουσι); D. L., 8, 31 (τὸν δ' Ἑρμῆν ταμίαν εἶναι τῶν ψυχῶν καὶ διὰ τοῦτο πομπαῖον λέγεσθαι καὶ ταμίαν εἶναι τῶν ψυχῶν), et Orph. *H.*, 57, 2-3 (ὄς ψυχὰς θνητῶν κατάγεις ὑπὸ νέρτερα γαίης, Ἑρμῆ).

<sup>53</sup> Cf. Waser, 1902-9, col. 3233; Waser, 1902-9, col. 3217, et 1913, p. 377, nexum inter aligera simulacra et animas sub specie avium effictas innuit; cf. Georgii Weicker, 1905, praesertim p. 209.

<sup>54</sup> Vide Annae Lisae Kossatz-Deissmann, 1992, VI, 1, numerum 63 in p. 456, et VI, 2, p. 237, numerum 63 (cf. imaginem nostram XI); Salomonis Reinach, 1899-1900, vol. I, 347, fig. 2, et Waser, 1902-9, col. 3218-9. Secundum Annam Lisam Kossatz-Deissmann, 1992, VI, 1, in p. 456, avis non Memnonis animam effingit, sed forsitan Memnonis sodales, qui, secundum Ovidium, aves facti sunt post mortem herois (*Met.*, XIII, 604-9: *atra favilla volat glomerataque corpus in unum / densetur faciemque capit sumitque calorem / atque animam ex igni (levitas sua praebuit alas) / et primo similis volucris, mox vera volucris / insonuit pennis, pariter sonuere sorores / innumerae, quibus est eadem natalis origo*, ex <http://www.thelatinlibrary.com/ovid/ovid.met13.shtml>, postridie Kal. Nov. MMIV; cf. Q. S., II, 643-5: τοὺς δ' Ἠριγένεια βοῶπις / πόλλ' ὀλοφυρομένους κρατεροῦ περὶ σήματι

παίδος / οίωνους ποίησε καὶ ἠέρι δῶκε φέρεσθαι). Cf. insuper Ricardi Holland, 1895. Attamen, hae fabulae multo posteriores quam amphora sunt, ita ut non optimum fundamentum ad amphoram enarrandam praebent.

<sup>55</sup> A. Epigramma sepulcrale Platonis Diogenes Laertius, 3, 44, tradit; cf. *Anthologiam Graecam*, VII, 62 (Αἰετέ, τίπτε βέβηκας ὑπὲρ τάφον ἢ τίνος, εἰπέ, / ἀστερόεντα θεῶν οἶκον ἀποσκοπέεις;- / "Ψυχῆς εἶμι Πλάτωνος ἀποπταμένης ἐς Ὀλυμπον / εἰκῶν· σῶμα δὲ γῆ γηγενές Ἄθθις ἔχει). Cf. etiam S. OT, 175-7 (ἄλλον δ' ἂν ἄλλω προσίδοις ἄπερ εὔπερον ὄρνιν / κρείσσον ἀμαιομακέτου πυρὸς ὄρμενον / ἀκτὰν πρὸς ἐσπέρου θεοῦ.)

B. De Aristeia Proconnesio, Plin. nat. 7, 174, *Aristeae* (sc. animam) etiam visam evolantem ex ore in Proconneso corvi effigie dicit; cf. Max. Tyr., 10, 2 (Προκονησίῳ ἀνδρὶ τὸ μὲν σῶμα ἔκειτο ἔμπνουν μὲν, ἀλλ' ἀμυδρῶς καὶ ἐγγύτατα θανάτου· ἡ δὲ ψυχὴ ἐκδύσα τοῦ σώματος, ἐπλανᾶτο ἐν τῷ αἰθέρι, ὄρνιθος δίκη), et Hdt., 4, 15 (φάναι γάρ σφι τὸν Ἀπόλλωνα Ἰταλιωτῶν μούνοισι δὴ ἀπικέσθαι ἐς τὴν χώραν, καὶ αὐτὸς οἱ ἔπεσθαι ὁ νῦν ἐὼν Ἀριστέης· τότε δέ, ὅτε εἶπετο τῷ θεῷ, εἶναι κόραξ.)

C. Ant. Lib., 1, 5 (τεκούσα δ' ἡ Κτήσυλλα καὶ χαλεπῶς ἐκ τοῦ τόκου διατεθεῖσα ἐτελεύτησε κατὰ δαίμονα, ὅτι ὁ πατὴρ αὐτῆς ἐψεύσατο τὸν ὄρκον. καὶ τὸ μὲν σῶμα κομίσαντες ἔφερον ὅπως κηδεύσωσιν, ἐκ δὲ τῆς στρωμνῆς πελειᾶς ἐξέπτῃ καὶ τὸ σῶμα τῆς Κτησύλλης ἀφανές ἐγένετο); Ps. Callisthenes, *Historia Alexandri Magni*, III, 33, 26-27 (ἐφάνη μέγας ἀστήρ πεσὼν ἐκ τοῦ οὐρανοῦ ἐπὶ τὴν θάλασσαν, καὶ σὺν αὐτῷ ἀετὸς μέγας, καὶ τὸ χαλκοῦν ἄγαλμα Διὸς τὸ ἐν Βαβυλώνι ἐκινήθη. ὁ δὲ ἀστήρ πάλιν ἀνήλθεν εἰς τὸν οὐρανὸν καὶ ὁ ἀετὸς σὺν αὐτῷ); Lucianus, *Peregr.*, 39 (ἐπειδὴ ἀνήφθη μὲν ἡ πυρά, ἐνέβαλεν δὲ φέρων ἑαυτὸν ὁ Πρωτεύς... γυψ ἀναπτάμενος ἐκ μέσης τῆς φλογὸς οἴχοιτο ἐς τὸν οὐρανὸν ἀνθρωπιστι, μεγάλη τῇ φωνῇ λέγων· "ἔλιπον γὰν, βαίνω δ' ἐς Ὀλυμπον"); D. P., *Ixeutikon*, 1, 8 (Οἱ δὲ ὄρνεις οἱ μέμνονες... ἐπὶ τοῦ τάφου τοῦ Μέμνονος ἀγωνίζονται πρὸς ἀλλήλους,... δεικνύντες, οἶμαι, κἀντεῦθεν, ὡς ἐξ ἀνδρῶν μεταβληθέντες εἰς ὄρνεις οὔτε τῆς βασιλικῆς τιμῆς, οὔτε τῆς πολεμικῆς ὀλιγωροῦσι μελέτης.)

D. Epigrammata nonnulla animarum alas canunt: cf. epigramma 312 Kaibel, vv. 1-5 (Νῦξ μὲν ἐμὸν κατέχει φάος ὑπνοδοτεῖρη, / ἀλγειν[ῶ]ν λύσσα νόσων δέμας ἠδεῖ ὑπνωι, / λήθης δῶρα φέρου' ἐπ' ἐμοὶ προστ[άγ]ματι μοίρης· / ψυχὴ δ' ἐ(κ) κραδίης δ[ρ]άμ' ἐς αἴθερον εἵκελος αὔρηι, / κούφον ἐπαιωροῦσα δρόμ[ω]ι πεπερὸν ἠέρι πολλῶι...); *Anthologiae Graecae*, 5, 57 (Τὴν πυρὶ νηχομένην ψυχὴν ἂν πολλάκι καίης, / φεύξετ', Ἔρωσ· καυτή, σχέτλι', ἔχει πτέρυγας), et 8, 12, v. 5 (ψυχὴ δὲ πτερόεσσα λάχεν Θεόν); AP, 8, 33 (Ψυχὴ μὲν πτερόεσσα πρὸς οὐρανὸν ἤλυθε Νόννης).

<sup>56</sup> Ovid, *Met.*, 15, 457: *verum etiam volucres animae sumus*; Verg. *Aen.*, 6, 298-312: *portitor has horrendus aquas et flumina seruat / terribili squalore Charon, cui plurima mento / canities inculta iacet, stant lumina flamma, / sordidus ex umeris nodo dependet amictus. / ipse ratem conto subigit uelisque ministrat / et ferruginea subuectat corpora cumba, / iam senior, sed cruda deo uiridisque senectus. / huc omnis turba ad ripas effusa ruebat, / matres atque uiri defunctaque corpora uita / magnanimum heroum, pueri innuptaeque puellae, / impositique rogis iuuenes ante ora parentum: / quam multa in siluis autumnis frigore primo / lapsa cadunt folia, aut ad terram gurgite ab alto / quam multae glomerantur aues, ubi frigidus annus / trans pontum fugat et terris immittit apricis.*

<sup>57</sup> Hor. *Carm.*, 2, 20: *Non usitata nec tenui ferar / pinna biformis per liquidum aethera / vates neque in terris morabor / longius invidiae maior / urbis relinquam. non ego, pauperum / sanguis parentum, non ego, quem vocas, / dilecte Maecenas, obibo / nec Stygia cohibebor unda. / iam iam residunt cruribus asperae / pelles et album mutor in alitem / superne nascunturque leves / per digitos umerosque plumae. / iam Daedaleo notior Icaro / visam gementis litora Bosphori / Syrtisque Gaetulas canorus / ales Hyperboreosque campos.*

<sup>58</sup> Hyg., *Astr.*, II, 16: *Nonnulli etiam dixerunt Meropem quendam fuisse, qui Coum insulam tenuerit regno, et a filiae nomine Coon et homines ipsos a se Meropas appellaret. Hunc autem habuisse uxorem quendam nomine Ethemeam,*

*genere nympharum procreata. Quae cum desierit colere Dianam, ab ea sagittis figi coepit. Tandem a Proserpina vivam ad inferos abreptam esse. Meropem autem desiderio uxoris permotum, mortem sibi consciscere voluisse; Iunonem autem misertam eius in aquilam corpus eius convertisse et inter sidera constituisse, ne, si hominis effigie eum constitueret, hominis memoriam tenens, coniugis desiderio moveretur.*

<sup>59</sup> *Sch. in Hes. Op.*, 382 quater (Γαύτας, φασί, τὰς Πλειάδας, μετὰ τῆς μητρὸς αὐτῶν τῆς Πλειόνης, κατὰ Βοιωτίαν πέντε ὄλους ἐνιαυτοὺς Ὀρίων ἐδίωκεν ὡς συγγένιοιτο, αἱ δὲ τοῖς θεοῖς εὐξάμεναι πρὸς πελειάδας μετήμειψαν. Ζεὺς δὲ τῆς κακοπαθείας οἰκτεῖρας, αὐτὰς ἐν τῷ Ζωδιακῷ κατηστέρισεν).

<sup>60</sup> Vide Francisci Cumont, 1917, p. 42 sqq., et 1949, p. 249. Secundum Franciscum Cumont, aquila (predatrix avis) sicut animae imago creata est, quoniam mortuorum animae sanguinem bibere credebantur, ut perviverent. Hoc etiam cum originibus fabulae de Sirenibus convenire potuit (cf. Francisci Cumont, 1949, p. 293; de aliis fundamentis et significatibus aquilarum in monumentis sepulcralibus aetatis Imperii Romani, cf. Franciscum Cumont, 1917).

<sup>61</sup> Vide Francisci Cumont, 1917, p. 42-4, fig. 12-14. Quod ad inscriptiones attinet, sub aquilam, quam a dextro videmus, Cumont Βάσσε ἄλυπαι χερε legit. In muro a dextro effigies hominum cum inscriptionibus ΔΑΜΙ ΧΑΙΡΕ, ΖΗΝΩΝ ΧΑΙΡΕ, etc., aspiciuntur.

<sup>62</sup> Vide Francisci Cumont, 1917, p. 46, fig. 19.

<sup>63</sup> A. Animarum imagines sine alis:

- A. 1. Caput sine corpore in *Il.*, 11, 54-5 (οὐνεκ' ἔμελλε / πολλὰς ἰφθίμους κεφαλὰς Ἄϊδι προΐάψειν) et *Il.*, 1, 3 (πολλὰς ἰφθίμους ψυχὰς Ἄϊδι προΐαψεν) laudatur. In amphora nigris figuris ornata, Monachi servata (in Augusti Baumeister, 1889, vol. 3, 1902, fig. 2001, et Salomonis Reinach, 1899-1900, vol. 2, p. 113), caput super Troili cadaver ascendere videtur. De re videas Waser, 1902-9, col. 3219, et Georgi Weicker, 1902, p. 30 sqq.
- A. 2. Corpus humanum sine alis (Waser, 1902-9, col. 3222) cum ea convenit, quae Homerus de anima cecinit simulacro humani corporis; cf. Pl. *Phd.*, 81c-d (περὶ τὰ μνήματά τε καὶ τοὺς τάφους κυλινδουμένῃ, περὶ ἃ δὴ καὶ ὤφθη ἄττα ψυχῶν σκιοειδῆ φαντάσματα, ὅα παρέχονται αἱ τοιαῦται ψυχαὶ εἶδωλα, αἱ μὴ καθαρῶς ἀπολυθεῖσαι ἀλλὰ τοῦ ὄρατοῦ μετέχουσαι, διὸ καὶ ὀρώνται). Tales imagines in amphora nigris figuris exornata, nunc in Musaeo Britannico, videmus (cf. Weizsäcker, 1902-1909, cols. 1711-12, imaginem 12, et Salomonis Reinach, 1899-1900, vol. 2, 100, imaginem 1, ubi sepulcrum et parvam bellatoris figuram sine alis cum inscriptione ΠΤΡΟΚΛΟΣ aspiciamus). Vide etiam monumentum, quod Harpyiarum vocant, rectius Sirenum vocandum est, de quo infra (sub d. in hoc opusculo) referemus. Hydria quoque nigris figuris ornata exstat, Monasterii servata, ubi bellatoris simulacrum, alis carens, ΦΣΥΧΗ inscribitur, hoc est, ψυχῆ; cf. Claudi P. Stähler, 1967, imagines 1 et 4 (et imagines nostras XII et XIII, propter quas Dri. H. Helge Nieswandt, custodi antiquitatum Monasteriensi, gratias agimus).



Imago XII: Hydria Monasteriensis cum simulacro, alis carente, ΦΣΥΧΗ (ψυχή) inscripto.



Imago XIII: Pars hydriae Monasteriensis, ubi simulacrum ΦΣΥΧΗ (ψυχή) inscriptum videtur.

Alia simulacra, tam aligera quam sine alis, in libro Claudii P. Stähler, 1967, in imaginibus 1-13 aspici possunt. Et in scaphio Campano, quod in Musaeo Louvre servatur, Mercurium videmus animas Achillis et Memnonis, sicut simulacra sine alis effictas, pensitans (cf. Waser, 1902-9, cols. 3225-6, fig. 14).

B. De anguibus cf. Iulii Lippert, 1881, p. 300 sq.; Waser, 1902-9, col. 3221; Georgii Weicker, 1902, p. 25, n. 2, et p. 30. Duae angues super sepulcrum Cadmi et Harmoniae eos effingere narrabantur (Nic. *Ther.*, 608-9: Σιδονίου Κάδμοιο θεμείλιον Ἀρμονίης τε / ἔνθα δύο δασπλήτε νομὸν στείβουσι δράκοντε), et Porphyrius dicit Plotino mortuo anguem sub lecto philosophi visam esse (Porph., *Plot.*, 2, 27-30: δράκοντος ὑπὸ τὴν κλίνην διελθόντος ἐν ἧ κατέκειτο καὶ εἰς ὀπήν ἐν τῷ τοίχῳ ὑπάρχουσαν ὑποδεδυκότος ἀφήκε τὸ πνεῦμα ἔτη γεγωνώς, ὡς ὁ Εὐστόχιος ἔλεγεν, ἕξ τε καὶ ἑξήκοντα).

C. De papilionibus sicut animarum simulacris vide Mauriti Bettini, 1986, p. 212; Othonis Jahn, 1847, p. 137 sqq.; Waser, 1902-9, cols. 3234-7, et Arist. *HA*, 551a 13-24 (Γίνονται δ' αἱ μὲν καλούμεναι ψυχαὶ ἐκ τῶν καμπῶν, αἱ γίνονται ἐπὶ τῶν φύλλων τῶν χλωρῶν, καὶ μάλιστα ἐπὶ τῆς ῥαφάνου, ἣν καλοῦσιν τινες κράμβην, πρῶτον μὲν ἔλαττον κέγχρου, εἶτα μικροὶ σκώληκες αὐξανόμενοι, ἔπειτα ἐν τρισὶν ἡμέραις κάμπαι μικραὶ· μετὰ δὲ ταῦτα αὐξηθεῖσαι ἀκινήτιζουσι, καὶ μεταβάλλουσι τὴν μορφήν, καὶ καλοῦνται χρυσαλλίδες, καὶ σκληρὸν ἔχουσι τὸ κέλυφος, ἀπτομένου δὲ κινουῦνται. Προσέχονται δὲ πόροις ἀραχνιώδεσιν οὔτε στόμα ἔχουσαι οὔτ' ἄλλο τῶν μορίων διάδηλον οὐδέν. Χρόνου δ' οὐ πολλοῦ διελθόντος περιρρήγνυται τὸ κέλυφος, καὶ ἐκπέτεται ἕξ αὐτῶν πτερωτὰ ζῶα, ἃς καλοῦμεν ψυχάς); Hsch., s. v. ψυχὴ (ψ 293: ψυχὴ· πνεῦμα. καὶ ζῶψιον πτηνόν); sch. in Nic. *Ther.*, v. 760 (φάλαίνα λέγεται ἡ παρ' ἡμῖν λεγομένη ψυχὴ). Ectypum in sepulcro saeculi III p. Chr. n., nunc Romae in Musaeo Capitolino servato, Prometheus demonstrat simulacrum humanum effingentem, super cuius caput Athena papilionem ponit (cf. imaginem nostram XIV, quam e pagina interretiali <http://bama.ua.edu/~ksummers/cl222/LECT2/sld002.htm>, pridie Non. Aug. MMXIII, et ex Augusti Baumeister, 1889, vol. III, 1413, imagine 1568, deprompsimus; cf. quoque Waser, 1902-9, imaginem 20, et Hygini *Fabulas*, 142: *Prometheus Iapeti filius primus homines ex luto finxit. postea Vulcanus Iouis iussu ex luto mulieris effigiem fecit, cui Minerva animam dedit*, in pagina interretiali, cuius inscriptio [http://www.fh-augsburg.de/~harsch/Chronologia/Lspost02/Hyginus/hyg\\_fabu.html#c142](http://www.fh-augsburg.de/~harsch/Chronologia/Lspost02/Hyginus/hyg_fabu.html#c142) est, a. d. X Kal. Nov. MMIV).



Imago XIV: Minerva papilionem super caput humanae figurae ponit, quam Prometheus effinxit, ut ei figurae animam det (sepulcrum saeculi III p. Chr. n., nunc Romae in Musaeo Capitolino servatum).

---

<sup>64</sup> Cf. Aloisiam Breglia Pulci Doria, 1990, p. 63.

<sup>65</sup> A. Sirenas animas mundi sphaerarum Proclus, *In R.*, vol. II, p. 237 Kroll existimavit: τίνας εἶναι ῥητέον τὰς Σειρήνας ταύτας; (...) τίνα οὖν οὐσίαν καὶ τάξιν ἐχούσας; ὅτι μὲν δὴ πρὸ σωμάτων οὔσας ἀναγκαῖον καὶ προσεχῶς ἐφειστώσας τοῖς κύκλοις εἶναι ψυχὰς αὐτάς, δῆλον. Idem Proclus Sirenas apud inferos et mortuorum animas discrevit (*In Cra.*, sectio 158, ll. 11-13: ὥστε οἶδεν ὁ Πλάτων ἐν τῇ τοῦ "Αιδου βασιλείᾳ γένη θεῶν καὶ δαιμόνων καὶ ψυχῶν, αἱ περιχορεύουσι τὸν θεὸν ὑπὸ τῶν ἐκεῖ Σειρήνων θελγόμεναι). Proclus etiam Sirenas animas divinas esse censuit (*In Ti.*, vol. I, p. 41, ll. 14-15 Diehl: Σειρήνας ἀλλαχοῦ προσεῖπε τὰς θείας ψυχὰς).

<sup>66</sup> Phot., *Lexicon*, σ, p. 504, ll. 9-10 (Σειρήνες· αἱ τῆς ψυχῆς ἐναρμόνιοι καὶ μουσικαὶ δυνάμεις); cf. *Suda*, σ, 281.